



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4. Quoties apparuit ipso resurrectionis die.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

discipulis omnia, quæ viderant. Quod vero Marcus ait, nemini quicquam dixisse præ timore, intelligendum est, vel de custodibus, vel de alijs, qui eis occurrerunt, donec peruenerunt ad discipulos. At verò tenendo cum Augustino & alijs Patribus [quos suprarctulimus] Magdalenam vel solam, vel cum reliquis foeminis, reuersam esse ad discipulos, antequam illum Angelum videret, alio modo erit hic locus explicandus, vt statim commodius exponemus.

Tertio igitur, postquam mulieres territæ visione Angelorum, egressæ sunt de monumento, & alia longius discesserunt, Magdalena permansit in vestibulo sepulchri. Sic enim intelligo, quod Ioannes ait *stabat foris plorans*: vbi se inclinans ad ostium monumenti, vt videret sepulchrum interius, iterum vidit duos Angelos, vnum ad caput, alium vero ad pedes sepulchri (vt Ioannes narrat) & tunc Christus apparuit à tergo Magdalene, quem Angeli inspicientes signa reuerentiae illi exhibuerunt, & hæc fuit occasio Magdalene conuertendi se retrorsum, vt notarunt Chrysostom. homil. 85. in Ioannem, & Athanas. questio. 78. ad Antiochum. Postea verò contingere omnia, quæ de veraque apparitione Christi ad mulieres supra diximus: ac tandem id, quod Lucas dixit, mulieres narraffe hæc omnia discipulis. Lucas enim prætermisit apparitiones Christi ad foeminas, quas satis scripserunt alij Euangelistæ, & ideo narrata visione Angelorum, quam alij prætermiserant, statim gradum fecit ad mulierum enarrationem scribendam. Huic vero expositioni ob stare possunt citata verba ex Cleopha. Quibus responderi potest, mulieres quidem vtrumque narraffe discipulis, scilicet & Angelos, & Christum vidisse: Cleopham tamen vel non omnia audiuisse, aut intellexisse: vel certe non esse ausum omnia dicere homini peregrino, ne rem nimum absurdum, & incredibilem referre videretur. Atq; ita omnia in concordiam rediguntur, quæ claritatis gratia oporteret in breuem summam redigere: id tamen commodius prestabimus Sectione sequenti.

SECTIO IV.

Quoties apparuerit Christus in ipso Resurrectionis die.

Pincipiò certum est, Christum in die Resurrectionis quinque apparuisse. Quæ sententia fuit Augustini dicto libr. 3. de consens. Euangel. capit. 25. quam D. Tho. hic art. 3. ad 3. docuit, & est certa. Nam ferè colligitur ex Euangelistis. Vt enim vidimus, illo die bis apparuit mulieribus, & Lu. 24. dicitur eadem die apparuisse duobus discipulis euntibus Emaus: ij rursum regressi statim Ierosolymam, vt nuntiarent Apostolis quæ viderant, inuenere ceteros discipulos dicentes, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: statimq; ad eos Dominus ianuis clausis ingreditur, vt idem Lu. Marc. ac Ioan. referunt. Fuerunt ergo quinque apparitiones in illa eadem die præter eam, quæ Virgini facta est. Nam si alie ab Euangelistis omiffæ sunt, ignorantur. Quod vero hæc contigerint, ipsa Dominica die, in qua Christus resurrexit, constat. Nam Matth. dicit Christum apparuisse foeminis in prima Sabbati, & idè dicit Marc. de apparitione facta Magdalene: idemq; est sensus Luca, qui eam diem vocat vnam Sabbati. Nam vna (more Hebræorum) ponitur pro prima (vt in superioribus diximus) & in eadè die narrat factas esse tres alias apparitiones. Deniq; addit D. Th. cōiecturam, ob quam Christus primo die toties apparuerit, scilicet, vt statim hanc resurrectionis constanter reciperent Apostoli, ceteriq; discipuli. Quia vero de primis duabus apparitionibus, earumq; ordine satis differuimus, superest, vt de alijs tribus, ac de earum ordine dicamus.

Fr. Suarez, tom. 2.

A Secundo ergo verisimilius est, tertiam apparitionem factam esse Petro. Ita Aug. lib. 3. de cons. Euan. ca. 25. Et solum potest probabili coniectura ostendi: Nam solus Lucas obiter hanc apparitionem attigit, non tam illam describendo, quam referendo, quid de illa discipuli iactarent. Paul. vero i. ad Cor. 15. huius apparitionis meminit iis verbis, *Christus resurrexit tertia die secundum scripturas, & visus est Cepha, & post hoc undecim*. Ex quibus verbis aliqui colligere voluerunt, Christum primum apparuisse Petro, quia Paulus hanc apparitionem primo loco ponit. Sed est sententia omnino falsa, & repugnans Euangelio Marci, nec habet in Paulo fundamentum. Quia ipse non affirmat, Christum primò apparuisse Petro, sed solum inter apparitiones, quas narrat, hanc ponit primo loco. Quia reuera fuit prior cæteris ibi descriptis: tamen, sicut non omnes ibi scriptæ sunt, ita non fuit hæc prima omnium apparitionum absolutè, & simpliciter. Sicut etiam Paulus ponit secundo loco apparitionem factam undecim discipulis, quæ sine dubio videtur esse illa, quæ facta est octauo die à resurrectione Domini: vel illa, quæ facta est recumbentibus undecim discipulis. Nam illa, quæ facta est ipso die resurrectionis ad vesperam, non est facta undecim (aberat enim Thomas vt constat ex Ioanne) non igitur fuit ordine secunda, sed vt minimum sexta: ponitur tamen à Paulo secundo loco respectu earum, de quibus ipse scripsit. Sit ergo certum, hanc apparitionem factam Petro fuisse post primam apparitionem factam Mariæ Magdalene. Quod verò etiam fuerit post secundam factam mulieribus, nõ est ita euidens in Euangelio, est autem valde verisimile: si consideremus ea, quæ hæcenus diximus de apparitionibus factis mulieribus, quod statim amplius explicabimus. Item colligi potest ex Matthæo qui refert, Christum, postquam apparuit mulieribus in via, dixisse illis, *Ite nunciate fratribus meis*, indicans vsque ad illud tempus nemini discipulorū apparuisse. Deniq; Cyr. lib. 12. in Ioan. 15. & 25. congruentiam reddit, ob quam Christus prius foeminis, quam viris apparuerit: vt sicut prima mulier, inquit, diabolo ministravit, sic Christo ministret muliebri genus. Et Chryl. hom. 90. in Matt. Considera, inquit, quomodo & ipse per hæc mulieres resurrectionem discipulis annuntiat, huiusmodi sexum plurimum ignominie obnoxium in honorem, spesq; bonas adducens, & satiscientem curans. Addit Euthym. c. 68. in Matth. *Quo ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vidisse Dominum in mercedem sui studij, suæq; festinationis*. Relinquitur ergo, hanc apparitionem Petri posteriorum fuisse duabus factis mulieribus. Quod vero antecesserit duas sequentes, probatur. Et primo de apparitione facta discipulis cōgregatis ianuis clausis, res est euidens ex Luca, qui narrat, ante ingressum Christi in cenaculum ianuis clausis, dixisse discipulos, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*. Deinde, de alia apparitione facta duobus discipulis euntibus Emaus sit probabilis coniectura ex Luca. Dicit n. eadem hora reuersos esse illos Ierosolymam, & inuenisse discipulos dicentes, apparuisse Dominum Simoni: ergo præcellerat illa apparitio. Dices, Dum illi discipuli redierunt ab Emaus in cenaculum, potuit Christus apparere Simoni, & ipse Simon narrare alijs discipulis. Propter hanc responsionem non dixi hoc esse certum, esse tamen verisimile, tum quia nulla est ratio ad excogitandum, in illo breui intervallo temporis apparuisse Petro, & congregatos esse discipulos, ac Petrum sibi factam apparitionem eis retulisse. Tum etiam, quia per se fuit conueniens, vt inter viros primo appareret Petro, vel quia futurus erat caput omnium, vel ne videretur neglectus propter peccatum commissum: sed indicaretur potius, quam esset utilis poenitentia, quantaq; Christi charitas, & sollicitudo consolandi discipulum magno dolore confectum ob crimen commissum. Nam propter has causas etiam angelus loquens ad foeminas,

Tertia apparitio Christi in die resurrectionis Petro facta. August. Luc. 24. 1. Cor. 15.

Ioan. 21.

Matth. 28. Cyril. Alex.

Chrysost.

Euthym.

Luc. 24.

Obiectio.

Responsio.

specialem fecit Petri mentionem, dicens, *Ite, dicite*, A
discipulis eius & Petro. Et fortasse hoc etiam voluit in-
dicare Paulus primo loco numerans hanc appari-
tionem Petri. Deniq; Christus apparuit duobus di-
scipulis aduersperascente iam die, vt colligitur ex il-
lis verbis, *Quoniam aduersperasit, & inclinata est iam*
Luc. 24. dies, & quando illi discipuli redierunt ad reliquos di-
scipulos, iam erat sero, vt colligitur ex Ioan. 20. ergo
Ioan. 20. verisimile est antea apparuisse Petro. Quopropter,
licet Euangelistæ non explicant, quomodo hæc ap-
paritio iuxta seriem historiæ facta sit: probabiliter
tamen exponendo verba Lucæ, coniectare possumus,
quomodo res hæc acciderit. Dicit enim Lucas, postquam
Luc. 24. mulieres narrarunt Apostolis, quæ viderant,
Petrum cucurrisse ad monumētum, *Et procumbens,*
ait, *vidi lineamina sola posita, & abiit secum mirans,*
quod factum fuerat. Et licet Augustinus supra existi-
met, hanc profectionem Petri ad monumētum esse
eandem cum ea, quam Ioannes narrat, à Luca verò
esse narratam per recapitulationem, aliquantulum
inverso ordine historiæ nihilominus dici probabi-
liter potest, fuisse diuersam. Nam Petrus, & Ioannes
iuerunt ad monumētum, priusquam mulieres nar-
rarent, se vidisse Dominum: imo fortasse etiam an-
tequam angelos viderent. Lucas verò significat hūc
posteriorem cursum Petri fuisse post secundam re-
uersionem mulierum narrantium, se vidisse ange-
los, & fortasse etiam Dominū, vt supra exposuimus.
Atqui per se credibile est, postquam denuo Petrus
audiuit mulieres dicentes, se vidisse Christum, fuisse
valde anxium, ac sollicitum de inquirendo, & vi-
dendo illo, cumque ipse nihil aliud præstare posset,
rediisse iterum ad monumentum, præsertim cum
audisset mulieres ibi perseuerantes tandem eum vi-
disse. Et hinc vltius fit coniectura, sicut apparuit
Christus mulieribus reuertentibus à sepulcro, ita
etiam tunc occurrisse Petro, quando solus redibat
admirans, quod factum fuerat.

A. Apparitio
in die resur-
rectionis facta
discipulis
euntibus E-
maum.
Marc. 16.
Luc. 24.

Tertio iam ex dictis constat, quartam appari-
tionem huius diei fuisse factam duobus discipulis, quæ
Lucas fusè persequitur. De qua pauca breuiter no-
tanda sunt, quæ ad veritatem & fidem historiæ ex-
plorandam sunt necessaria: reliqua enim expositio-
ribus Euangeliorum relinquimus. Primum est, hæc
eandem apparitionem attigisse Marcum cum dixit,
Post hæc autem duobus ex his ambulanti-
bus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam. Nam licet Euthy. c. 48. in
Marcum, contrarium sentiat, qui propterea sex ap-
paritiones ponit factas hoc die, & tertiam esse hanc
de duobus discipulis, quam narrat Marcus: quartam
apparitionem Petri, quintam vero hanc, quam nos
quarto loco ponimus. Cæterum hæc est sententia
Augustini, cæterorum Patrum, ac expositorum: nec
est vllam fundamentum ad has apparitiones distin-
guendas. Nam quod Marcus dixit, apparuisse Chri-
stum illis in alia effigie, Lucas explicuit his verbis,
Oculi autem eorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Ideo
enim tenebantur, quia aliter immutabantur ab ob-
iecto, & hoc erat apparere in alia effigie, vt in supe-
rioribus explicatū reliquimus. Deinde, quod Mar-
cus dicit, illos discipulos iussisse in villam: Lucas vero
in castellum, perinde est. Quia, si latinas voces atten-
damus, eandem ferè habent significationem: Græcè
autè dicitur in Marc. 16. & 7. *in Luca vero 16. & 7.*
vtrumque tamen significare potest villam vel pagum.
Quia vero parum distabat Ierosolymis, & intra
territorium eius continebatur, ideo à Marco nomi-
ne, *agri*, aut *prædij* significatur, quamuis esset oppi-
dum non ignobile, vt sumi potest ex Iosepho lib. 17.
antiquitat. cap. 12. & lib. 4. de bello Iudaico, cap. 1.
& Plinio libro 5. Historiæ cap. 14. & Sozomeno
libro 3. historiæ cap. 20. & Hieronymo lib. de locis
Hebraicis, qui dicit, illud oppidum postea vocatum
esse *Nicopolim*, fuisseque insignem Palestinæ ciuita-
tem.

Ioseph.
Plin.
Sozomen.
Lycanus.
Eusebius.
Nicostris.

Solum illud, quod maximè mouit Euthymium, Obiectio.
Euthym.
potest aliquam difficultatem ingerere. Nam Marcus
dicit, hos discipulos nuntiasse cæteris, quæ viderat,
& neq; ipsis credidisse: Lucas verò ait, hos duos, cum
reuerli fuissent, inuenisse discipulos iam credentes,
& dicentes. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simo-
ni.* Qui ergo fieri potest, vt illis eandem sententiam
confirmantibus non crederent? Hinc ergo colligit
Euthymius prius venisse illos duos, de quibus lo-
quitur Marcus, annuntiantes porro quæ viderant,
nec ijs habitam fidem: postea vero venienti Petro
credidisse, tãquam viro maioris autoritatis, & prin-
cipi cæterorum. Dicendum vero est, in ea multitu-
dine discipulorum quosdam fuisse, qui Petro credi-
derunt, se vidisse Dominum: alios vero neq; Petro,
neque duobus discipulis superuenientibus credi-
disse. Et ita fieri potuit, vt hi duo venientes inueni-
rent aliquos qui dicerent, *surrexit Dominus verè, &
apparuit Simoni:* alios vero qui fidem non adhiberent
his, quæ ipsi narrabant. Vnde vtrumq; est verum, et-
iam si asseratur respectu vnius multitudinis, de qua
secundum personarum varietatem varia dici pos-
sunt, quæ secum non pugnent. Hoc autem ita acci-
disse ex ipso Euangelio Lucæ colligi potest. Dicit eni-
m, hos discipulos regressos in Ierusalem inuenisse con-
gregatos vndecim, & cæteros, qui cum eis erant, dicentes,
surrexit Dominus verè. Hinc enim colligitur, fuisse in-
ter eos Thomam [erat enim vnus ex vndecim] ille
autem non credebat, nec dicebat, *Surrexit Dominus
verè.* Nam etiam post sequentem apparitionem dixit,
Nisi videro, non credam. Nō ergo credidit duobus
discipulis narrantibus: per se autem credibile est,
habuisse aliquos suæ incredulitatis ascleas. Verè er-
go dixit Marcus illis narrantibus discipulos non cre-
didisse. Quia non est sensus, neminem credidisse, sed
aliquos, vel plures.

Secundò notandum in hac apparitione est, Lu-
cam vnius ex his discipulis nomen aperuisse, quem
Cleopham vocat, de quo in superioribus non nihil
diximus agentes de Maria Cleopha, nisi fortasse hio
sit alius nobis ignotus eiusdem nominis. Hierony-
mus vero supra dicit, hunc Cleopham fuisse muni-
cipem illius oppidi Emaus. Porro de socio Cleo-
phæ Lucas nihil dicit. Vnde aliqui suspicati sunt,
eum fuisse ipsummet Lucam, vt Theophylactus in
Lucam refert. Quod tamen non apparet verisimi-
le. Quia Lucas non videtur fuisse ex discipulis, qui
cum Domino conuersati sunt, sicut ipse significat in
inicio sui Euangelij, dicens, *Sicut nobis tradiderunt, quò
à principio ipsi viderunt.* Nam si ipse fuisset ex disci-
pulis, qui cum Christo conuixerant, potius diceret, se
scribere ea, quæ viderat: Cleophas autem, & socius
eius fuerunt ex discipulis Christi (vt Lucas ipse nar-
rat) est ergo incertum, & incognitum, quis ille fue-
rit. Ambrosius vero capite vltimo Lucæ eum
appellat *Ammaon*, quod nescio vnde sumpserit,
nisi fortasse credidit eum fuisse ex vico Emaus, &
inde sic appellari, quasi ab Emaus. Reliqua, quæ
in hac apparitione Lucas narrat [quod attinet ad
historiam] non habent difficultatem. Posset au-
tem hic quærì, quomodo Christus ab eis non fue-
rit cognitus, neque de facie, neque ex voce. Item
E quomodo CHRISTVS inxerit, se ignorare, quæ
facta erant, velleque longius ire absque formali fi-
ctione, seu mendacio. Rursus, quæ fuerint illa
scripturæ testimonia, quæ de seipso interpretatus
est. Sed hæc omnia in superioribus exposita sunt.
Præterea inquiri potest, quomodo Christus panem
benedixit, & an consecrauerit, vel quomodo a-
gnitus fuerit in fractione panis. Sed hæc in mate-
riam de Eucharistia tractanda referuamus in sequen-
tibus.

5. Apparitio
in die resur-
rectionis facta
discipulis
in cenaculo
noctis

noctis, & hanc esse quintam, & vltimam apparitionem illius diei. Hoc totum constat ex dictis, & ex narratione Lucæ, & Ioannis. In quibus illud est obseruandum, eandem [sine dubio] apparitionem recensere. Nam licet vnus multa addat, quæ alter omisit, & è conuerso: tamen in nullare vnus alteri est contrarius, & in multis conueniunt, quæ satis indicant, de eadem re esse sermonem. Lucas enim finita narratione discipulorum redeuntium, subdit. *Dum autem hæc loquerentur, stetit Iesus in medio eorum.* Ex quo constat, hanc apparitionem factam esse hora secunda, vel tertia noctis. Oportuit enim tantum temporis, ut minimum, consumere illos discipulos in reditu, cum dicat Lucas distare Emauntē ab Ierosolymis sexaginta stadiis, hoc est septem milliaribus cum dimidio, seu duabus leucis cum dimidia. Ioannes vero dicit, *cum sero factum esset die illo.* Ergo signum est eos loqui de eodem tempore, atque adeo de eadem apparitione: & vterque dicit, stetit Iesum in medio discipulorum, eosque salutasse his verbis, *Pax vobis, & ostendisse eis manus, & pedes, seu latus, dicens, Palpate, & videte, &c.* Et quamuis Abulenſis paradox. 5. capite. 37. neget, discipulos tunc tetigisse Dominum, nec voluisse experiri veritatem corporis eius: quoniam illud fuisse signum imperfectissimæ fidei: quam tamen Christus in eis tunc non reprehendit, sicut postea fecit in Thoma. Nihilominus tamen probabilis videtur, tunc discipulos Christi corpus contrectasse. Quia, licet demus, non habuisse tam imperfectam fidem, ut hoc eis esset necessarium: tamen ad maiorem fidei confirmationem id Christus fieri voluit. Et ita docet expresse Athanas. orat. cont. Arian. in hæc verba. *Ex Deo, Deus est Verbum, Vbi tractans illa verba, Palpate, & videte omnes (inquit) cohortationem ad se palandum inuisitabat, suis specimen, & approbationem exhibebat comedendo, & contrectationem ferendo. Res enim eo opere completa fuit.* Et idem affirmat Ignat. epistol. 10. ad Smyrnen. Euseb. libr. 3. histor. cap. 80. alias 36. & Tertul. libr. de carne Christi. capit. 5. Et in superioribus multa tetigimus, quæ hanc sententiam confirmant. Denique præter hoc testimonium resurrectionis, Lucas addit aliud, scilicet, comedisse cum eis, & multa ex scriptura docuisse, quæ Ioannes quidem omittit, sed non negat. Sicut etiam Ioannes addit, Christum dedisse tunc discipulis Spiritum sanctum, & potestatem remittendi, & retinendi peccata, quod Lucas prætermisit.

Hinc vero oritur prima difficultas, seu repugnantia inter has narrationes. Quia Lucas dicit Christum promississe tunc Spiritum sanctum discipulis: qui autem promittit, non tunc dat, cum promittit: sed potius differt in posterum: Ioannes autem dicit tunc dedisse, ut patet ex illis verbis, *Accipite Spiritum sanctum.* Quæ cum fuerint verba Christi, non potuerunt non esse efficacia. Porro quidam dixerunt (ut Chrysostom. refert, & Euthym. ac Theophylact. in Ioannem,) non improbant non tunc dedisse Spiritum sanctum, sed aptitudinem ad illum recipiendum. Quibus fauet idem Chrysostom. homil. 1. in act. dicens posse exponi. *Accipite Spiritum sanctum id est, accipietis Spiritum sanctum.* Sed nihilominus hæc interpretatio omnino est improbanda & videtur damnata in 5. Synod. collat. 8. capit. 12. ubi de Theodor. Mopsuesteno dicitur. *Inter alias innumeras blasphemias ausus est dicere, quod post resurrectionem, cum inuisisset Dominus discipulis, & dixisset. Accipite Spiritum sanctum, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuratè tantum inuisitauit.* Denique illa interpretatio est & contra vim, ac veritatem verborum Christi: & contra Patrum expositionem, & Ecclesiæ sensum. Etenim si tunc non dedit Spiritum sanctum: nec potestatem remittendi peccata dedit. Eodem enim modo de vtroque loquutus est. Dicendum est ergo, tunc dedisse illis Spiritum sanctum,

Fr. Suarez, tom. 2.

A non tam ad propriam eorum sanctificationem, quam quoad potestatem supernaturalem ordinis ad remittenda peccata. Nam, quia remissio peccatorum Spiritui sancto appropriatur, merito cum potest remittendi peccata confertur; Spiritus sanctus dari dicitur. Non est tamen negandum: quin etiam tunc simul cum potestate data sit discipulis gratia Spiritus sancti ad propriam eorum sanctificationem, quatenus necessaria est, ad dignè, sanctèque vutendum illa potestate, sicut nunc datur in sacramento ordinis, si suscipiens sit dispositus. Plenitudo autem Spiritus sancti, tam quoad perfectionem propriæ sanctificationis, & confirmationis in gratia, quam quoad varia dona, & gratias gratis datas non est tunc data, sed in die Pentecostes: tunc vero fuit promissa, ut Lucas dixit. Et ita nulla est repugnantia. Quia idem Spiritus sanctus sub vna ratione est datus: sub alia promissus. Atque in hunc modum tandem exponit Chrysostom. & re ipsa eadem est sententia Cyrilli libro. 12. capite. 56. Hieronym. Epi. 150. ad Hedibiam quæst. 9. & Augustin. lib. 4. de Trinitat. cap. 20. qui licet in modo explicandi non nihil differant, non tamen de cent contraria: sed vnus magis explicat, quod alter omittit. Summa vero omnium in his, quæ diximus continetur. Prolixior vero disputatio de sensu, & intelligentia horum verborum Christi, & quomodo in eis contineatur institutio sacramenti poenitentiae (ut Concilium Tridentinum definiuit sess. 24.) non est hoc loco tractanda. Habet enim proprium locum in materia de poenitentia, quam in tomum quartum huius tertiæ partis referuamus.

C Secunda difficultas in prædicta narratione est, quia Lucas significat, interfuisse tunc Thomam, cum Christus ad discipulos ingressus est. Dicit enim Cleopham, & socium eius inuenisse vndecim congregatos, quorum vnus erat Thomas (ut supra notauimus) statim verò subdit, *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum:* at Ioannes negat, ibi interfuisse Thomam. Respondetur, hoc posterius sine dubio esse verum. Lucas verò tribus modis exponi solet. Primo, ut illa vox, *vndecim*, non denotet in rigore numerum personarum: sed per synecdochem vel appropriationem significet collegium Apostolicum, quod tunc ex vndecim constabat, & potuit dici adesse, ubi maior pars aderat. Cæterum hæc expositio non placet. Tum quia est contra propriam verbi significationem. Vndecim enim non significat collegium, sed numerum, vnde non dicit Lucas. *Inueniunt congregatum, sed congregatos vndecim;* & eos, qui cum eis erant, & paulò superius, ut explicaret, se loqui de numero personarum, dicit, *Narrauerunt hæc omnia illi vndecim.* Tum etiam, quia eo tempore vndecim Apostoli nōdum erant propriè congregati in vnum corpus, seu collegium, neque habebat nomen impositum, quo per modum vnius mystici corporis significaretur.

Secunda expositio est Euthymij, Lucam enūmerasse Matthiam inter vndecim. Quia licet tunc non esset suffectus locus Iudæ: respexit tamen Lucas ad tempus, in quo scribebar: in quo iam Matthias vnus erat ex vndecim Apostolis, secluso Thoma. In quam sententiam referri potest Chrysostom. homil. 86. in Ioann. quatenus dicit, *Thomam abfuisse, quia credibile est ex fuga nondum rediisse.* Quod etiam sequuntur Theophylact. & Euthym. in Ioan. Nam hinc necessitatio fit, Thomam non fuisse congregatum cum vndecim, quando duo discipuli venerunt. Sed neque hæc solutio placet. Quia vel magnam inducit æquiocationem, vel necessitatio ex illa sequitur, vbiunque in tota historia resurrectionis nominatur *vndecim*, vel non comprehendendi Thomam, sed Matthiam, vel posse etiam excludi aliquem alium ex Apostolis, & loco illius substitui Matthiam, quæ omnia sunt absurda. Nam reuera Euangelistæ in huius

Spiritus sanctus post resurrectionem quomodo datus.

Chrysostom.
Cyril.
Hieron.
August.

Con. Trid.

Dubium.

1. Insc. 549.
127.

Euthym.
in Luc. c. 83.

2. Expositio.

Euthym.
Chrysostom.
Theoph.
Euthym.

Aaa 3 iulius

Matth. 28.
Marc. 16.
Act. 1.

Vera expo-
silio.

August.
Beda.
Lyranus.

August.
Greg. Pap.

Primo resur-
rectionis die
a Christo ge-
fita qua.

iustmodi numero respexerunt ad tempus, de quo scribebant, & ita Matth. capite 28. per antonomasiam vocat, *undecim discipulos*, & Marc. capite 16. simpliciter vocat, *illos undecim*. Et idem Lucas Act. 1. post electionem Matthiae dicit, *annumeratum esse cum undecim Apostolis*.

Vera ergo responsio est, cum duo discipuli Emanuele redissent, adfuisse Thomam: intercessisse tamen aliquod tempus ante apparitionem Domini, in quo Thomas discersit: vel quia non credebat, quae narrabantur: vel alia oblata occasione, quam inquirere superuacaneum est, cum innumerae possint facile occurrere. Ita ferè Augustin. 3. de consens. Evangelist. cap. 25. Beda, Lyranus, & alij in Lucam. Neque obstat verbum illud Lucæ, *Dum autem haec loquuntur*, quia in primis illo modo loquendi solum significatur, paulo post totum illud accidisse. Deinde quia credibile est, illos discipulos totam historiam apparitionis sibi factae prolixè narrasse: Thomam vero finem non expectasse, quod nugas, & deliramenta ea omnia esse sibi persuaderet. Quod tamen (vt notant Augu. tract. 121. in Ioan. & Gregor. hom. 20. in Euang.) non sine speciali Dei providentia factum est, tum vt Thomas vlcus suae incredulitatis ostenderet, & perfectius, ac solidius curaretur: tum propter nostram vtilitatem, & maiorem fidei confirmationem. Cetera quæ de hac apparitione dici poterant, & ad mysterium resurrectionis pertinent, in superioribus tractata sunt, scilicet, quomodo vulnera manserint in Christi corpore, & quomodo illuc intrauerit ianuæ clausæ, & se tangendum, palpan- dumque praeberit, & cum alijs comederit. Reliqua verò, quæ ad alia mysteria spectant, in propria loca remittimus.

Ex his, quæ de his quinque apparitionibus diximus, facile erit ad breuem summam redigere omnia, quæ primo die resurrectionis suæ Christus Dominus, ad ostendendam, & confirmandam suam resurrectionem, gessit. Resurrexit enim summo mane, & statim matri suæ apparuit. Interim veniunt mulieres ad monumentum, eisque propè accedentibus opera Angeli terræ motus factus est, & lapis è monumento reuolutus. Quo viso redeunt mulieres ad Apostolos, & Magdalena narrat Petro ac Ioanni, ablatum corpus Iesu. Veniunt hi ad monumentum, & vident omnia, quæ à mulieribus acceperant: redeunt tamen non viso Domino. Mulieres vero, quæ cum eis iterum venerant, in monumento manent: cumque ibi adessent, viderunt Angelum sedentem super lapidem in vestibulo sepulchri: cuius monitu ingrediuntur sepulchrum, ibique conspiciunt duos vt in ore duorum, vel trium testium flaret resurrectionis verbum. Porro mulieres terræ exeunt de monumento, & aliæ quidem procul recedunt. Maria autem manet plorans in vestibulo iterum, atque iterum innectens sese ad scrutandum sepulchrum, vbi iterum Angelos aspexit, & paulo post conuersa rrorsum vidit Dominum. A quo iussa nuntiare discipulis, quæ viderat, egreditur ocyus, breuiq; ceteras mulieres confectur, quibus narrat, quæ viderat, & omnes gaudio, & admiratione perfusæ iter eadem sedulitate prosequuntur. Dum autem ita incedunt, omnibus rursum Christus in via ostenditur: quo adorato ad discipulos iterum mittuntur. Perueniunt illæ ad cenaculum, narrant quæ audierant, & viderant: nullus tamen eis fidem adhibet: quin potius duo è discipulis penè desperati in oppidum, cuius fortasse erant in cælo, discedunt. Petrus verò ductus desiderio videndi Dominum, iterum ad monumentum veniens, eadem, quæ prius viderat, intuetur, cumq; ad mirabundus, ac cogitabundus rediret, ecce subito fit ei Christus obuiam, consolaturq; merentem, & ad eos discipulos mittit. Quo facto ad reuocandos duos

alios discipulos properat Christus, eiusque fit viæ comes, ac tandem se illis cognoscendum præbet in fractione panis. Redeunt illi ad cenaculum, vbi socios congregatos inueniunt de apparitione Petro facta colloquentes, quibus ipsi narrat, quomodo à se quoque fuerit visus, & cognitus. Denique, dum hæc geruntur, Christus stetit in medio eorum ac varijs modis se verè resurrexisse ostendit, sicq; graui sunt discipuli viso Domino.

SECTIO V.

Quoties, & quo ordine apparuerit Christus post diem resurrectionis usque ad ascensionem suam.

Expositis his, quæ primo die resurrectionis sunt gesta, superest, vt ceteras apparitiones ad huius materiæ complementum percurramus. Quod breuius expediri poterit, quia & Evangelistæ pauca de ijs scribunt, & minor est in eis varietas, ac difficultas.

Primo dicendum est, post diem resurrectionis non apparuisse Christum discipulis usque ad octauum diem, in quo sexta apparitio in ordine facta est. Loquimur de ijs, quæ scripta sunt. Nam de ijs, quæ in illis intermedijs diebus acciderunt, nihil est memoriæ proditum, & hoc sensu intelligenda sunt omnia, quæ dicemus. Et ita est certa assertio ex Ioann. 20. vbi tantum hæc apparitio narratur, & patebit amplius ex sequenti assertione. In hac vero apparitione nihil noui accidit ad manifestandam resurrectionem pertinens, quod in superioribus explicatum non sit. Agere autem de priori Thomæ infidelitate, & de fide, quam in hac apparitione concepit, ac de sensu illorum verborum, *Dominus meus, & Deus meus*, deque Christi sententia, *Quia vidisti me, Thomas, credidisti*, Beati, qui non viderunt, & crediderunt, non est nostri instituti: in materia tamen de Fide, & de Trinitate multa de his dici solent. Illud solum aduertere oportet, ex illis verbis Christi intulisse quosdam, Thomam non tetigisse Christum: sed viso illo statim credidisse. Quia Christus non dixit, *Quia tetigisti me*, sed, *quia vidisti*, quod sentit Euthym. Ioann. 20. Sed in primis (vt Aug. uult. notauit tractat. 121. in Ioan.) ex verbis Christi hoc colligi non potest. Nam verbum *videndi*, vltata significatione non tantum de aspectu, sed etiam de omni experimento sensibus facto dici solet. Vnde sensus proprius verborum Christi est, beati qui eas res, quas experti non sunt, neque sensibus perceperunt, credere. Qui sensus satis confirmatur ex superioribus verbis eiusdem Christi. *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas*. Nam inferre digitum, non ad visum spectat: sed ad explorationem tactus. Videte ergo ibi nihil aliud est, quam sensu experiri. Quocirca certum esse debet, Thomam tetigisse Christi vulnera. Quod testantur Athanas. orat. citata, Sectione precedenti, & Aug. tractat. 121. in Ioann. qui non solum dicit, Thomam tetigisse, sed etiam, *per hoc quod videbat, atque tangebatur, remota dubitatione credidisse*. Itaque sentit per contactum ad fidem peruenisse. Et idem sentiunt Cyril. 12. in Ioan. cap. 58. & Chrys. hom. 86. in Ioan. & Gregor. hom. 26. in Evangelia. Tertul. lib. de Anima, capite 17. & alij. Atq; hoc pertinet ad maiorem attestationem, & confirmationem resurrectionis propter quam Christus hæc omnia faciebat.

Vltimo est in hac apparitione obseruandum, Rupertum libro decimo quarto in Ioannem existimasse hanc apparitionem non fuisse factam Ierosolymis in eodem cenaculo, in quo facta fuerat quinta apparitio in die resurrectionis: sed in Galilæa. Tum quia cum Apostoli acceperint preceptum à Chri-

Christus post diem resurrectionis usque ad octauum non apparuit discipulis. Ioan. 20.

Thomas Christi suscitatorum. ra & visu explorat & tactu. Athanas. August. Chrysost. Cyril. Gregor. Tertul.

Rupert. Elconymus

Ro sum-